Charissimo in Christo filio nostrro Philippo Hispaniarum Regi Chatolico.

Alexander Papa VII.

CHarissime in Christo fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem. Pro charitatis paternæ debito sedulam profecto curam adhibuimus extinguendis seminibus scandolosarum dissensionũ graviumque turbarũ, quas à nonnullis ocasione novarum altercationum de Beatissimæ Virginis Deiparæ conceptione rursus in Regnis Hispaniarum acriter excitatas esse, cum è Maiestatis tuæ, tum è plurimorum Episcoporum, & aliorum ab hac Sancta Sede remedium exposcentium litteris intelleximus. Nam post invocatam repetitis precibus Spiritus Sancti gratiam sæpè viros insigniter doctos, & Religiosos auditos, habitas plures præsertim venerabiliũ fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Generalium Inquisitorum consultationibus, de illorum consilio pariter, & assensu constitutionem edidimus, quam sanè, benedicente Domino conscientiarum, & animorum quieti componendæ salutarem, piæ devotioni profectibus accommodam atque singulari, & in hac quoque re præclarè spectatæ pietati tuæ magnopere gratã fore speramus. Cuncta porrò distinctè magis ex venerabili fratre Episcopo Placentino, pro hac agenda causa oratore ad nos tuo, cuius egregia doctrina, & religionis accensa studia toto huius negotij pertractati tempore nobis benè cognita, & valdè probata sunt, tum ex Apostolico Nuntio nostro, coram audies. Interim nos Maiestati tuæ Deum usquè propitium, & aspirantem ex omni corde præcamur, & Apostolicam benedictionem amantissimè impartimur. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annullo Piscatoris, die 10. Decembris 1661. Pontificatus nostri anno septimo.